

Q.N. 531, 3

X 1860531 B. m. II 633

Σ Ι Ρ Η V



Διαλεκτοσκοπίας

EXERCITATIO PRIMA,

agens de

LINGVIS

IN GENERE,

Quam

DEO PRÆSIDE,

*Consensu Incltyti Collegii Philosophici publico Eruditorum
examine & censura subicit*

AUTHOR

M. BERNHARDUS Schmid/CYGN.

S.S. Theol. & Philol. Stud. & Alumn. Elect.

RESPONDENTE

JOHANNES HÖNIGIO, Reichenbachensi,

Philos. Bacc. & S.S. Th. Stud.

In Academia Lipsensi

H. L. C.

ad diem 10. Junii.



STANNO BAUERIANO.

24



VIRIS

Magnifico, Plur. Reverendis, Amplissimis, Consultissimo, Excellentissimis, & Clarissimis

Dn. JOHANNI HÜLSEMANNNO, S. S. Th.
D. ejusdemq; in inclyt. Lips. Acad. Prof. Celeberr. Consi-
storii Ecclesiast. Assess. Capituli Cizensis Præposito, Canonico
Numburgensi, Alum. Electoralium Inspectori, ad D. Nicol.
Pastori vigilantiss. & Academ. Decem-
viro,

Dn. HIERONYMO KROMAYERO, S. S.
Theol. D. ejusd. in Academ. Lips. Prof. Extraordinario &
Eloquentiæ Ordinariæ, Colleg. Min. Princip. Collegiato,
& h. t. Fac. Philos. Decano Specta-
bili,


Dn. PAVLO HORNIGIO, U. J. Doctori, & e-
jusdem defensori Practico celeberrimo.

Et Dn. M. CHRISTIAN-FRIDERICO
Frankenstein/S. S. Theol. Baccal. Lingv. Latin. & Hi-
storiarum P. Profess. famigeratissi-
mo,

*Dn. Patronis, Promotoribus, Præceptoribus, & Mæcenatibus maximis in debita observantia si-
gnum exiguum hoc ingenii sui specimen*

*ea quâ debet submissione
dedicat*

M. B. S.



PRÆLOQVIUM.



Ardentissimo Linguarum amore earumq; eminentissimo in omni literaturæ usu commoti exiguum hoc exercitium Philologicum, Lector Benevole, quantum temporis angustia permisit, conscripsimus, tuoq; iudicio jam submittimus. Non autem in presentiarum ad Linguarum species descendere nobiscum constituimus, idem enim hoc esset ac si omnem maris undam uno haustu exhaurire velimus, sed in generali tantum earum consideratione nos continebimus. Ignoscet autem nobis, ut nullus dubito, candidus hujus rei iudex, cum multa ne dicam innumera, quæ hinc pertrahi potuissent, deesse persentiscet, temporis enim, quo hæc potius sudimus, quam scripsimus, ut & chartæ angustæ angustæ ratio habenda fuit, hinc & ab exemplis adducendis, quorum tamen numerosa semper copia suppetiit, quantum fieri potuit, abstinuimus & B. L. ad authores ipsos, ex quibus hæc desumi potuissent, remisimus. Si forsitan præterea aliquid obvenerit, quod minus bene Tibi dictum videbitur, ætati nostræ ignoscas; sin minus verum, placido eâ de re colloquio dissidium componemus. Sit igitur bono cum Deo Linguarum authore & conservatore.

CAPUT PRIMUM,

De Definitione nominali.

§. 1. Natales suos vocabulum Lingva verbo Lingere debet, quod juxta Beckman, in origin. a græco λειχῶ N interposito ducitur. Est enim Lingva proximum gustus, qui lingendo fit, instrumentum normaq; saporum juxta Plaut, in Gryllo. Natura autem cum unum membrum non perpetuo unicæ destinet actioni, lingvæ quoq; varia dantur munia, ex quibus in homine tria potissimum se offerunt, gustatio, masticatio & his se adjungens ser-

inocinatio; quamvis autem illa duo principalia sint & maxime necessaria homini cum brutis communia, hoc tamen inde non excluditur. Nam lingua, uti constat, ex venis, nervis, arteriis, ligamento, fræno, musculis, membranula, carne insuper mollissima constituta contrahit, dilatat & producit se, indeq; voces & totum sermonem pro lubitū efformat, disponit & pronunciat. *Aristot. part. an. l. 2. c. 16.* Et hanc ob causam fluxus ille sermonis & mente & cogitatione cum sono per os erumpens, uti *Plato* loquitur, metonymica locutione Lingua dicitur, non secus ac *Ebræorū* $\aleph \psi$, quod alias, secundum *Schindl.* extremitatem oris, seu labiū significat, *Gen. 11.* aliisq; in locis Lingvam, seu sermonis genus denotat.

§. 2. Dicitur alias glossa, glossarium, in latiori significatio-
ne dialectus, vox, verbum, dictio, sonus, nomen, sermo, locutio,
oratio, &c. quantumvis inter hæc aliqua interveniat differentia,
Apud Germanos *Sprach*/Græcos $\gamma \lambda \omega \sigma \sigma \alpha$ vel $\lambda \acute{\epsilon} \gamma \xi \eta$, *Ebræos* $\aleph \psi$,
Chaldæos $\aleph \psi$, *Syros* $\aleph \psi$, *Arabes* $\aleph \psi$ &c. vel secundum *Tro-*
scium in *Lexico Syr.* fol. 367. $\aleph \psi$; ubi tamen prius videtur reti-
nendum esse innuente *Kirstenio*, quando scribens $\aleph \psi$ $\aleph \psi$,
i. e. lingua bovis per ψ exprimit. Consulantur hæc de re *Le-*
xica.

§. 3. Significatur autem potissimum hoc nomine I. mem-
brum illud palato subjacens nobilissimum, voci formandæ cibo-
rumq; usui maxime destinatum, & hoc modo accipit *Plautus* in
Pænulo, cum de stultis dicit, quod thesaurus eorum sit in lingua si-
tus, ut quæstui habeant malè loqui de melioribus: *Theogn.* in *sen-*
sent. $\delta \pi \circ \gamma \lambda \omega \tau \eta \varsigma \phi \acute{\iota} \lambda \circ \varsigma$ dicitur, qui, quod verbis ostendit, re ipsa
non præstat. Huc spectant illa trita: Lingva quo vadis? ap. *E-*
vasm. Cbiliad. 2. cent. 2. $\Gamma \lambda \omega \tau \eta \eta \pi \circ \lambda \epsilon \mu \acute{\iota} \zeta \epsilon \upsilon \nu$, i. e. Lingva bellare, uti di-
cit *Menelaus* apud *Homer. Iliad.* η . $\Gamma \lambda \omega \sigma \sigma \alpha \acute{\omega} \mu \circ \sigma \epsilon \nu$, i. e. Lingva jura-
vit, ut est apud *Euripid.* in *Hippolyto coron.* Et innumera alia.

II. Aliter quandoque sumitur pro operculo illo cartilaginoso,
quod præter cæteros usus maximos fistulam spiritalem in gutture
claudit, ne quippiam ciborum in eam deerret. III. Accipitur
hoc vocabulum pro rebus aliquibus oblongis & angustis speciem
L. referentibus, ut 1. *Esa.* 5, 24. pro flammâ. 2. pro promontorio,
vel quavis alia terræ angusta & oblonga portione, quæ in modum

exercet

exercitæ Lingvæ in mare excurrit, uti videtur apud *Cæsarem de bell. Gall. l. 3. c. 17.* Eodem modo *Josue XV, v. 25.* 3. pro herba oblonga alopecias emendante, de qua *Plin. l. 24. c. 19.* 4. pro natione in hujusmodi forsitan formâ disposita *Esa. LXVI, 18.* 5. pro certo gladiatorum genere: quod ipsum calculo suo approbat *Agellius l. 10. c. 25.* Et hinc juxta sententiam *Johi Majoris D.* quam foyet in *Apospasmate Philologematum c. 4. versiculi 21. cap. 7.* Josue verba referenda erunt, *וַיִּשְׁחַט אֶת-הַלִּיָּוָה*. Dicit enim Achan prædator: Et videbam *וַיִּשְׁחַט*, i. e. linguam, auream, quod quidem *B. Lutherus* in margine de fibula in modum lingvæ efformata vult intellectum, *R. Kimchi* autem de virga vel regula aurea ad instar lingvæ effigiata: Alii, quos *Andr. Masius* deridet, Achane ex idoli cujusdam ore linguam sociolorum evulsiße indeq; reportasse sibi persuadent; Verior tamen sententia esse videtur, quæ interpretatur sicam vel gladium, quo fortassis Jerechuntini Deum suum armaverant, vel ipsi divinum cultum tribuerant. (Gladii enim hoc à veteribus accidisse innuit *Herodotus, Ammianus Marcellinus, Justinus, Adamus Brem.* & plures alii.) 6. cuspidem seu mucronem hastæ quandoque denotat, & est hæc acceptio priori valdè cognata: Testatur hoc *Julius Pollux l. 5. Onomast. c. 3.* (quod est *περὶ στυβερῶν κωνηγέτης καὶ σκευῶν*) & disertis affirmat verbis. IV. Alicubi etiam oblocutionem, rumores, maledicta, & obtrektorum voces denotat, cuius exemplum habemus apud *Cic. l. 6. ad Varronem*, ubi inquit, vitremus oculos hominum, si linguas minùs facilè possimus. Sic Ebrais *וַיִּשְׁחַט* pro lingua mala seu delatione, calumnia & obtrektionem dicitur, ut *Jerem. XLIII, 18. Eccles. X. Psalm. CXL.* & aliis in locis. V. Tandem pro forma aliqua sive caractere sermonis, uti loquitur *Herod.* accipitur, quod quidem intelligi potest vel de dialecto propriè sic dicta, vel de peculiaribus lingvis, de quibus dicitur, quod in earum sinu Philosophiæ robur olim creverit & per quas cujusq; excellentissimæ scientiæ cursus aperitur. *Scalig. in præf. ad lib. de Causis Lat. Ling.* Et sic impofterum, uti in hac præfatione significatione accipitur, de Lingvis nobis sermo erit.

CAPUT SECUNDUM.

Exhibens definitionem realem.

S. I. Delibata nunc pauculis nominis definitione, ad realem.

lem est accedendum, quæ apud varios est varia: Nos repudiatis aliis huic favemus, quam *Scalig. de CC. Lat. L. c. 66.* & *Alstedius in system. mnen.* his proponunt verbis: Lingva est gentis alicujus idiotismus per voces ritè formatas, rem mente conceptam alteri representans.

§. 2. Generis vices, ut definitionem ordine jam explicemus, vocabulum *Idiotismus* subit, quod non explicetur sermonis forma à vulgo sumpta, ut explicuit *Libanius*, dicens: *Accipimus idiomata pro sermonis quadam proprietate, quâ distinguitur loquela varietas, quæ semper solet contingere inter diversos populos, vel etiam diversos nationis tractus, ut & inter patritios ac plebem, &c.* Talem, inquam, sermonis formam hoc loco indigitare nolumus, sed proprietatem gentis alicujus in loquendo peculiarem.

§. 3. Differentiæ locum cætera verba supplent, inter quæ se primo successu offerunt: *Per voces ritè formatas.* Quomodo & quibus adminiculis in animalibus sonus ille, qui vocis appellationem communiter obtinet, originem suam trahat, conservetur, circumvolvatur & protrudatur, non multum laborabimus: saltem ut nostrum hâc in re tutemur locum, quomodo vox ad palatum usq; protrusa in articulatam vocem transeat ritèq; disponatur paucis excutiemus. Ad hoc ipsum autem requiritur oris universa regio ex faucibus, lingua, palato, dentibus & labiis constituta, lingvæ tamen maximam partem illud tribuendum esse evidenter exindè ostenditur, quod mobilitate sua sonum vocalem foràs erumpendo occurrentem naturâ suâ continuatum & indistinctum in faucibus dearticulat, appellentemq; & renitentem ad palatum & dentes clarescere facit, uti *Hippocrates* censeat in *l. περὶ ἀρχῶν*. Hujus enim officii si lingua rationem non haberet, distinctè & perspicuè loqui non possemus, sed fixâ & immota lingua omnia audirentur *μόνονοφα*. *Scalig. Exerc. 259 sect. 1.* Quod ipsum etiam *Philosophorum Monarcha l. 4. d. hist. an. c. 9.* *διὰ τὴν τοῦ* vocans *διὰ τὴν φωνῆς τῆς γλώττης* calculo suo approbavit videtur. Etiam si autem & à labiis certæ quædam literæ, juxta eundem *l. 2. d. part. an. c. 16. & 4. hist. an. c. 4.* formentur, maxima tamen pars à lingua proficiscitur, nec non illæ ipsæ literæ labiorum operâ efformatæ quatenus sine vocali, quæ à lingua modificantur proferri nequeunt, dicente *Lipso d. rect. pronunc. Lat. ling. c. 12. p. 15.*

lingvæ

lingvæ opem postulanti. Quâ de causa clementissima mater natura homini præ cæteris omnibus animantibus instrumenta loquendi exquisitissima concessit, labra ægilia, linguam absolutam, mollissimam, humidam, agilem & præcipuè latam adeoq; accommodatissimam. Uti prolixâ demonstratione ostendit jam laudatus *Arist. loc. cit. de part. an.* Et est hoc sensibus evidens in iis, qui aliquo enumeratorum destituuntur, magnam enim literarum partem proferre nequeunt, quas verò pronuntiant adeò miserè balbutientes, blæsi & torti torquent, ut vix Budorus pejus, nullamq; ferme integram & ritè formatam voculam, quæ uno verbo *Aristot. évæθς* dicitur *probl. 60. sect. ii.* conquirunt. Quid igitur de brutorum vocibus statuendum sit, ex præmissis judicare haud difficile erit: Ex vocis quidem familia eas eximere nullo sane jure possumus, neq; dubium est dicta animalia, singula in suo genere naturalia quædam affectuum suorum indicia edere. Quæ admodum enim variis loquuntur lingvis homines, aliter Scythæ, aliter Indus, aliter Romanus &c. Ita animalia alia hinnunt, alia mugiunt, & sic deinceps, ex quibus omnibus ad oculos apparet, quod *Lucretius l. 1. c. 2.* pronunciat, quod videlicet

*Diffimiles soleant voces variasq; cære,
Cum metus aut dolor est, aut cum jam gaudia miscent.*

Articulatas tamen illas voces esse ritèq; formatas, cum prorsus sint indistinctæ, nullis certis membris interfecentur, serieq; continuata non proferantur, & exinde sermo, qui juxta *Scal. c. 4. l. 1. d. CC. LL.* vocum articulataram ad interpretandum animum est dispositio, fieri nequeat. Spartam nostram esse duximus negare cum *Philosopho sect. ii. probl. 60.* Sententiam autem nostram infringere videtur id, quod multorum historicorum monumentis de brutis, præsertim tamen de avibus, proditur: Pstittacum videlicet Anthropoglottum Cardinalis Ascanii *Χαίρε* suum & postmodum totum Symbolum Apostolicum articulatissimè recitasse, testis est *Cælius Rhodiginus l. 3. c. 32. lection. antiq.* Portatorem invocasse ad auxilium ferendum, cum in aquis periclitaretur, tradente *Gesnero*: Corvum Conradum coquum sæpissimè, cum esuriret, vocasse, uti dicit *Scalig. Ex. 237.* Sic Agrippinæ Claudii Cæsaris turdum innumera ordine contexta verba recitasse author est *Plin. l. 10. c. 42.* ut hæc ratione, aliis jam omissis exemplis, evincatur arti-

articulatas etiam voces à brutis formari & proinde certas linguas
eas constituere & huc referri. Cùm a. fiat sine mente soni, cas-
saq; & inania verba, concessio quod forment vocabula sua perfe-
ctissimè, in posteriora tamè definitionis verba, si nō in priora im-
petum quis faciat, si brutorum voces tanquam linguas ad hanc
nostram definitionem trahere velit, uti §. seq. videbimus. An
Angelorum lingua, cujus mentionem facit *Apostolus 1. Cor. 9. 1.* hanc
sit referenda, ex dictis etiam inotescit. Non enim lingua illa, ut
perperam aliqui censent est Ebraica, de quo videatur *Cornel. A-*
grippa l. 3. de philos. occult. c. 23. Siquidem cum Angelis utpote spi-
ritibus corpus non sit, neq; etiam lingua erit aliaq; loqvendi in-
strumenta, atq; adeò verba formare, multominùs ritè formare
non valebunt, quapropter & huc referri illa phrasis nequit, quo-
modo autem intelligi debeat in conflictu videbimus.

§. 4. Seqvuntur nunc posteriora definitionis verba, quæ
sic se habent: *Rem mente conceptam alteri representans.* Quæ enim
juxta *Aristot. l. 1. περὶ ἔξου. ab initio* vocibus insunt, notæ sunt eo-
rum, quæ sunt in animo, sicuti vocum notæ ipsa, quæ scribuntur,
uti reddit *Nic. Grucbius.* Hinc lingvis opus est ad communican-
da consilia & conceptus nostros, ad colendam hominum societa-
tem, & omnia fermè negotia, quæ in hac vita nostra occurrunt;
plura hac de re vide *cap. 4.* Videri autem ex hoc potest, quod §.
preced. satis non est explicatum: Nostra videl. hæc proposita ver-
ba, brutorum voces linguas constituere, non admittere. Quan-
quam enim probatum ibi sit, dari animalia, quæ ritè formatas &
articulatas voces conforment, per eas tamen conceptus suos al-
teri non produnt; Hoc autem non minùs, quàm ritè formata vo-
cabula, ad verum sermonem & linguam pertinet, aliàs etiam arti-
ficiata inanimata, quæ hominum opificio loqvi interdum & can-
tare comperta, loqvi & lingua aliqua uti concedendum esset, id
quod est absurdum. Sermo enim, qui est in lingua, animi est por-
titor, secundum *Scal.* minister rationis, simulachrum animi & spe-
cimen ingenii, nominante *Carolo Paschaliq.* mentis frater, vocan-
te *Philone,* rationis manus, & obstetrix mentis, quæ omnia inani-
matis nullo modo competunt. Homini enim soli hæc sunt con-
cessa teste *Aristot. l. 1. d. part. an. c. 1. & l. 1. hist. an. c. 1. & l. 3. de an. t. 157.*
l. 5. d. gener. anim. c. 7. ut & Scalig. Ex. 182. sect. 2. Quod autem ali-

quan-

quando voces proferunt concinnas, fit ab arte, hæc namq; naturam imitatur, & brutis has indit voculas, quas postmodum nullo prorsus adhibito rationis moderamine effutiunt & efferunt, quocunque tandem oblato objecto vel congruo, vel minus congruo, non intelligentes, quid pronuncient, sed assuefactione tantum perficientes. Nam memoriâ prædita sunt animalia, cujus beneficio multa observant, & postea cum succurrit usurpant, non tamen aliquid, quod in eorum mente, produnt, neque ad interrogata respondent. Atque sic brutorum voces ad hæc quadrantes verba in prioribus, quæ ad priora, in hæc posteriora impingunt. Quæ aliàs ad oppugnandam hanc sententiam adferuntur, ut de serpente in Paradyso *Gen. 3, 1.* Caufo fluuio, qui recensente *Porphyrio in vita Pythagoræ*, Pyth. salutavit: de arbore, quæ allocuta est *Apollonium*, uti narrat *Philostat. in vit. Apollon.* De asino *Bileami* & similibus, facta sunt, vel sic disponente Deo, vel Dæmonis præstigiis, qui multis modis hominibus imponere non desistit. Videatur *Pfellum, de demonib;*

CAPIT TERTIVM,

Agens de subjecto Lingvarum.

§. 1. Remanente igitur, solum hominem, vel accuratius intellectum hominis, Lingvarum subjectum esse, non immerito queritur, an certa quedam lingua homini ita sit innata, ut, si usu non addisceret maternam, illâ loqueretur? Ad quod ipsum multum lucis conferet, si excutiamus prius, an vocabula à natura, an ex hominum arbitrio sint imposita? Quâ in re sententiam, quam fovet *Plato in Cratylo*, *Stoici*, apud *Agellium Nigidius l. 10. c. 4.* alii que quam plurimi, planè rejicimus, secuti *Philos. Duce* ejusq; interpretem accuratiss. *Toletum* (ut & alios) *lib. 1. de interpr. c. 1. qv. 1.* *Francisc. Valles. de sacr. Philos. c. 3.* *Scalig. d. re poët. l. 2. c. 3. & l. 4. c. 46.* & dicim9, ex hominum instituto nomina rebus esse imposita.

§. 2. Pergimus hinc & dicimus, nullam etiam esse linguâ, quæ prædicto modo naturaliter homini insit, quod patet 1. quia

B

omnis

omnis lingua usu addiscitur, 2. quia animi nostri potentia ad
quasvis linguas addiscendas est idonea & propensa, 3. quia lin-
gua, nisi exerceantur, dediscuntur, id quod non fit in naturalibus,
uti in aviculis est manifestum, quæ in sua specie æquè cantillant
omnes, per totam vitam hujus cantionis non immemores, ab ar-
te verò quod est, discunt & dediscunt. Coniungatur Scaligero 3.
d. CC. LL. c. 66, 67. Exc. D. Rivinus in disp. de Linguis tb. 13. §. seqq. Mi-
ramur ergò haud injuriâ stultum illud Regis Psammetychi pro in-
veniendâ naturali & principali lingua propositum, quod Claudiam
l. 2. contra Eutrop. ex Herod. l. 2. transfert hoc modo:

dat cuncta vetustas

Principium Phrygius, nec Rex Ægyptius ultra

Restitit, humani postquam puer uberis expertus

In Phrygiam primum laxavit guttura vocem.

Nam frivolum prorsus hoc est argumentum, si quis per illud lin-
quam aliquam, & quidem Phrygum homini ita naturalem esse, ut
nullo adhibito magistro eam addiscere possit, probare conetur.
Videatur ad hoc apposita responsio ap. Lud. Vivem ad August. d.
Civ. D. l. 16. c. 11. Sicuti autem pueri isti nullam aliam proferre
potuerunt vocem, quàm à capris auditam, ita, si infans in desertis
educaretur, ubi nulla planè vox humana exaudiretur, nullam
quoque unquam proferre posset, sed vel gestibus animi sui sensa
demonstraret, vel novam aliquam ex proprio cerebro linguam
sibi efformaret. Besold. d. ling. immut. c. 11. Bodin. l. 3. theat. nat. Con-
tingit & hoc à nativitate surdis, quos etsi naturæ quodam vitio
μογιλάλς esse constet, non parùm tamen impedimenti & inde
accedit, quod sonos & loquelam, ad cuius imitationem verba sua
conformant, non percipiant. Nec obstat, quod primus homo nul-
lam linguam addidit, cum longè alia & diversa apud nos sit ra-
tio. Nam illi cum ipsa statim vita Deus hanc loquendi formam
inspiravit, nos autem absque sonis, cum illa lingua non propage-
tur, nullam addiscimus. August. 1. Confess. c. 8. Neq; illud, quod
quandoque præoces voces edant infantes, (cujus rei exempla a-
liqua commemorat *Mexia*) & quod Melancholici lingvis non-
nunquam loquantur, quas usu non addidicerunt, id miraculosè
fieri & præter naturam, nemo dubitabit. Loqui itaque homini
quidem

quidem est naturale, instrumenta etiam ad loquendum idonea & omnes loquendi modi naturales, sed non hæc vel alia determinata Lingva ei est innata, author est *Keckerm. in curs. Philos. disp. 19. lb. 7.* Natura homini (quantum ad hæc signa) lingvam dedit nullam, ut possit addiscere omnem.

CAPVT QVARTVM.

Tradens affectiones præcipuas.

§ 1. Inter affectiones Lingvarum primo loco prodit **INSIGNIS ANTIQVITAS**, siquidem non adeò magno temporis tractu à prima hujus univ. creatione lingvæ esse cœperunt. Quanquam autem maximè discrepantes de earum origine extant sententiæ, quas hîc recensere plusquam longum foret, quanquã etiam non desint, qui de LL. origine nihil certi dari posse statuunt, ex quibus non postremo loco nominandus *Rollenbagius*, qui in libro, cui titulum fecit *warhaffte Lügen* / omnem veritatem Chronologicam Genesi adimere conatur, (quã appositè autem huic phantasiæ specimini se opponat *Behmig manu duct. Chron. l. 1. t. 1. c. 11.* apud eum videri potest) facilè tamen, si certæ attendantur æræ, ex his omnibus emergi potest. Procedatur autem hoc modo: à condito mundo usque ad Sethum juxtà Ebraicam veritatem, quæ hæc in re pro mensura est habenda, uti *Corn. à Lap. comment. in 5. Gen. Hieronym. Bedæ & Augustin.* non dissentent, sunt anni 130, à Setho ad Enoch 105, ab E. ad Kenan 90, à K. ad Mahaleel 70, à M. ad Jared 65, à J. ad Enoch 162, ab E. ad Methusalem 65, à M. ad Lamech 187, à L. ad Noah 182, à Noah ad diluviũ 600, & sic ab origine mundi ad usque diluuium, si in unam summam hos annos colligamus erunt anni 1656. completi, uti hanc assertionem strenuè propugnant *Scaliger, Behmius, Franckenbergerus, Calvisius, Langius* cæteriq; accuratiores Chronologi plerique, contrarium licet mordicè haud ignobiles in re literaria viri teneant, ex quibus præcipui *Petavius l. 9. d. doctr. tempor. c. 8. Corn. à Lapide comm. in Gen. c. 5. Corn. Jansenius in Gen. c. 7. Anton. de Escobar, ibid. Mendoza ibid. & Laur. Codomannus l. 1. qv. Chron. c. 2. & l. 2. q. 2.* Invento igitur jam &

concesso diluvii certo tempore, pergimus ad cætera. Aquis postea jam desumptis crescenteq; hominum multitudine, cum aliæ sedes ac coloniæ quærendæ essent quamplurimis, priusquam discederent, perpetuum sui monumentum relinquere voluerunt, & duce Nimrodo insolitæ magnitudinis turrim vertice suo stellas pulsantem erigere constituerunt. Teste *Mose Gen. X, 10. & XI, 4.* Offensus autem Deus, Lingvarum immissa conturbatione irritos eorum conatus fecit, cum primò unicum tantum apud omnes labium fuerit, annotante non solùm *saerâ paginâ*, sed & *Joseph. l. 1. ant. jud. c. 5. Sleid. d. 4 summ. imp. l. 1. Salust. Bartass.* ejus interp. *Sam. Benedict.* qui ad admirationem usque concionè & appositè hæc describunt *hebdom. 2. die. 2. l. 2.* Hæc autem confusio à nonnullis anno post diluvium incidisse statuitur, ut à *Josepho l. c. Augustino d. C. Dei l. 16. c. 4, 11. l. 17. c. 16. Sleid. l. c. Judæi anno 340*, aliqui eorū 272 evenisse defendunt, sequentes tamen accuratiss. Chronologorum calculum, anno 101. hoc factum fuisse reperimus. Eo ipso enim anno natus est *Peleg*, qui exinde nomen suum obtinuit. Atque sic lingvæ, postquam non amplius unius duntaxat inter homines usus obtinuit, esse cæperunt A. à M. C. 1757, ut ita de earū antiquitate eximia nullum fermè dubium restet. Non autem audiendus est h. l. *Philastrus Episcopus Brixienfis*, qui ex *cap. Gen. 10.* lingvarum diversitatem ante Babel stabilire conatur, cum hîc sit anticipatio, notante *Friedlibio in Theol. Exeg. hist. Noachi class. 2. §. 30.* quæ in sacris literis non est infrequens, juxtâ *Augustin. l. 16. d. Civ. D. c. 4.* Et sanè temerarium hoc est Episcopi argumentum, cum post hæc verba *Moses* ad illud tempus redeat, & unam lingvam hætenus semper fuisse, & jam confusas esse lingvas, disertis verbis affirmet. Dilucidior ergò est textus Mosaicus, quàm ut elumbi hæc cavillatione *Philastrii* ullatenus everti queat, inquit *Alphös. de Castro l. 9. adv. heres.*

§. 2. An hæc Lingvarum confusio *Ethnicis* etiam innotuerit peculiaris jam est quæstio, subductis tamen, quæ ad affirmantem partem faciunt rationibus illam amplectimur, moti præprimis illis historicorum monumentis, quæ aperte quæsitum affirmant, uti videre licet apud *Waltherum in Offic. Bibl. Repositor. post. theca 1. archa 1. §. 17*, ubi hanc in rem testimonium *Berosi*, quod lib. ejus

ejus quarto extat, traditur. Idem Sybilla alicujus ex Josephi ant.
Jud. l. 1. c. 4. Alexandri & Abydeni ap. Cyrillum: Hestiei & Eupolemi ex
Euseb. l. 9. d. præp. Evang. Addatur huic Mornaus d. verit. relig. Christ.
c. 26. & quos ipse adducit authores. Si quædam allatorum exem-
plorum nō omninō sunt ficta. Ansam procul dubio hoc præbuit
effingendi illud de Gigantomachia commentum, quod x Poëtis
notum.

§. 3. Secundam affectionem ponimus HARMONIAM
CONCINNAM. Hanc in rem dicit subtiliss. Scal. Ex. 259. sect. 1.
deletas tantū esse ex mente *Judeorum* in prima illa confusione
priorum significationum species, aliasq; novas ac varias, alias a-
liis mentibus & recordationibus esse introductas significationes,
& hoc modo, quò impii propositi opus interciperetur, factum à
Deo, ut lapidem petenti alius calcem, alius sabulum, alius mal-
tham, alius bitumen, alius aquam afferret. Quod si verum est,
lapidem petenti alius aliud, multi multa, diversa omnia attulisse,
unius soni modus in varias species deductus diversis mentibus se-
se insinuasse videtur, & hęc ratione una illa, quæ ante confusionē
fuit, Lingva extaret integra, varii verò cujusque vocabuli signifi-
catus, neque etiam ulla lingvarum harmonia daretur. Verū
rem aliter sese habere experientia fida magistra testatur, videlicet
vocabula disrupta esse, & longè aliis diversisq; modis composita,
ima summis esse permutata, sursum deorsum cōtorta, literas dis-
tractas, permutatas, transpositas, adjectas, exterminatas, sonos &
spiritus corruptos, itaque mille modis confusa & disturbata om-
nia, ut vix in plerisque vocabulis veteris alicujus formæ vestigiū
appareat. In plerisque dico, multa etiam sunt, quæ venustā har-
monia originem statim suam & cognationem produnt, ita ut eo-
rum magna pars matricem suam, priscam illam lingvam, respi-
ciat, magna etiam cum posterioribus lingvis conspiret. Exempla
hactenus adductorum accumulare nolo, videatur modo *Exc. Ger-
bardus in fin. Harmoniæ suæ LL. Orient.* ubi multarum lingvarum o-
rigines ad se invicem referuntur per exempla evidentissima, id
quod etiam fit à *Beckman.* non solum in *Origin.* sed & in *Præf.* ad
easdem, consulatur etiam *Avenarius in Lex. Ebraico,* *Cruciger in Har-
mon. sua,* *Helovigius in orig. dict. germ.* *Mathias Martinus in Cadmo-
Rhanice,* *Lipsius & Busbequius in Epist. suis,* & alii plures.

§. 4. Tertia nobis erit MUTABILITAS INSTABILIS:
Nam non secus, ac omnia, quæ hoc toto universo comprehendū-
tur, mutationibus crebris sunt obnoxia, Lingvæ quoque sua fata
& vicissitudines patiuntur, quæ cum paucis sint explicanda, du-
ctum sequar *Joh. Bodini method. hist. c. 9. & Besold. in tractat. peculiari
de immut. lingg. & mutabilitatem illam, his præeuntibus juxta cau-
sas in tria agmina dispescam. Prima autem est ipse temporum
decursus, per quem non solum lingvæ vel meliores, vel corruptio-
res fiunt, sed & tota rerum natura consenescit, verba namque si-
cut nummi valent, ut verissimè cantavit olim Horat. d. art. Poët.
v. 68.*

— — — mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum fiet honos & gratia vivax.
Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentq;
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
Quem penes arbitrium est, & vis & norma loqvendi.

Cum enim hic aliquid immutat, ille non minus aliquid, nec
secus alter, & sic progressus continuatur, tandem lingua mutatur
& corrumpitur, atque exinde, quod *Seneca epist. 59. de latinis* dicit,
omnibus lingvis accidere solet. Exemplis hæc res fufissimè expli-
cari posset ex singulis lingvis, malumus tamen ea (si Deus velit) a-
liquando in aliquibus lingvarum speciebus ex instituto demōstrare.
Interim videatur *Agell. l. 2. nott. att. c. 25. Polybig lib. 3 sect. 22. Reinhart.
Robbigius d. reb. critic. l. 2. c. 6. Eilhard. Lubin. & Jan. Guilhelmus in An-
tiquariis suis. Fæderis Ludovici Germaniæ, & Caroli Galliæ Regum
formula, quæ apud Erberum extant. Stumpsius l. 4. c. 31. Descri-
ptio Societatis Eructuosa, vulgò der teutsche Palmbaum/p 98. Heigius
l. 1. qv. 7. n. 58. Petrus Crinitus de honest. discipl. l. 3. c. 3. & l. 8. c. 3. Dav.
Peiferus Jctus in epist. ad Dresserum, orationis Dominicæ formulam
anno 94. ab hoc nostro tempore usitatam, quæ quamvis sit Ger-
manica, absque explicatione tamen ab homine germanissimo nō
intelligetur, extat ea ibid. ex edit. Hieron. Megiseri, poterunt & alii
evolvi in magna copia, præprimis verò *Disp. de Antiquitate Excell.
Dilherri.**

§. 5. Secunda causa *Bodino & Besoldo* est coloniarum dedu-
ctio, populorumque inter se confusio. Quando enim diversæ
Lingvæ in uno eodemque loco promiscuè usu vigent, mutatio in-
signis

signis singularum facillimè fieri potest. Sic cum de Japonensibus legimus, alià Lingvâ viros, alià mulieres usos esse, id quod Herat. Turfelin. l. 4. d. vit. Xaveriâ testatur, & de urbe Colchorum Dioscuriade, quod adeò clara quondam fuerit, ut Demosthenes in eam CCC nationes diversis lingvis loquentes descendisse prodiderit affirmante Plin. l. 6. c. 5. & Strabone l. 10. Geogr. quàm facile lingvæ confundi, mutari & everti possint, cujuslibet iudicio relinquim⁹ dijudicandum. Sic, cum annotante Nehemia c. 13. v. 23. Judæi quidam in matrimonium duxerunt foeminas Aschodæas, Hammonitidas, Moabitidas, lingvarum maxima confusio secuta est, siquidem multi, ut hunc in l. notat Aschodæam introduxerunt lingvam, multi Judaicam retinere cupientes labefactatam, & corruptam retinuerunt. Plerumqve autem vitium à vulgo ortum trahit imperito, qui vincente multitudine omnia transfert & adulterat. Consulatur Bellonus l. 3. observ. c. 32. Pontanus origin. francie. l. 6. c. 24. Beckmannus manuduct. ad L. lat. f. 29. Besold. de increm. Imper. cap. ult. & de LL. immut. c. 17. Swenterus in orat. de Talmud. p. 14. & seqq. Meyerus in Philol. b. l. 1. c. 2.

§. 6. Tertia causa in ipsarum regionum & hominum natura posita est, ita ut natura ipsa & conditio loci lingvas transformet diversasqve imprimis eis inducat dialectos. Alius enim loci incolæ durius, alius mollius verba sua pronunciant, & ipsas voces ad hanc normam efformant, & tunc vocabula genuinam suam pronunciationem non assecuta degenerant. Illud autem vel pro aeris vel aquæ qualitate, vel montium & soli ratione evenit. Id quod haud præter rem monet Cardanus l. de subtil. 11. quæ ipsa etiam verba examini subjecta videri poterunt ap. Scalig. Ex. 259. sect. 1. & d. CC. L. l. c. 14. Sic de Ephraimitis sacer Codex testatur Judic. XII, 6. quod יהוה per ו Jamin efferre non potuerint, quod notante R. Dav. Kimchi unica loci Ephraimitarum dispositioni est adscribendum.

§. 7. Quarta denique affectio est UTILITAS EXIMIA, quam diffusâ quidem oratione & phaleratis verbis decantare nostri non est instituti, cum quilibet, cui de meliori suto præcordia, ut Poëta dicit, ficta sunt, secum accuratius eam perpendere poterit. Brevissimis modò hoc loco quorundam, alto supercilio has

CON-

contemnentium, obiectiunculis, quibus omnem auctoritatem
lingvis detrahere gestiunt, satisfaciendum erit. Et primò qui-
dem, quando dicunt, lingvas homine liberalis ingenii indignas
esse, propterea, quod à multis imò plerisque contemnantur, nihil
valet. Quid enim contemptus possit, patet, quod nec Jupiter o-
mnibus placet, siue ningat, siue pluat, siue cœlum serenet, quomo-
do igitur lingvæ apud omnes in pretio esse poterunt? præsertim
iis, qui curiosè quovis involant, ut muscæ, quodvis allatrant, ut
canes, omnia repræhendunt, ut Momus. Si tamen hoc valeat,
neque desunt altera ex parte, qui lingvas maximi faciunt, homi-
nes illis haud ignobiliore, quibus si lingvarum aliqua cognitio
contigit, quamvis sit minima, regno Turcico aut omni auro, quod
vastissimo hoc mundi spatio continetur, si libera daretur optio,
non commutarent, uti de seipso *totius Germaniæ immortale decus*
Phil. Melancton ingenuè fatetur. Si ad exempla sit devenien-
dum, adeò numerosa copia certò se offerret, ut, si omnia persequi
velimus, infinita aliquando hæc exercitatio nostra foret. Ex
multis igitur considerent *Abdiam Prætorium* ornamentum illud
Academiæ Franckofurtanæ (uti eum laudat *Ebertus in Chronol.*
præcipuorum S. Lingvæ doctorum fol. 41.) fulgidissimum, qui quantum
utilitatis, quantum laudis etiam à lingvis reportaverit, omnibus
fermè notum est. Fuit enim multarum lingvarum, & totius lite-
raturæ callentissimus, quod haud inconcinnè *Poëta* quidam in
carmine funerali his expressit verbis:

Bis septem lingvas, Sophiam qui calluit unus, (a 3. super Facult.)

Qui tria, (a) qui septem, (b) qui totum scibile scivit. (b. 7 artes lib.)

Videant *Lutherum*, virum illum incomparabilem, *Golum* (qui 16.
LL. gnarus fuit) *Jos. Scaligerum* (quem exquisitissimis laudibus e-
vehit *Cl. Heinsius Orat. 1. ex edit. 1620. p. 13.*) aliosque sexcentos, qui non
tantum tria, ut *Ennius* olim dicente *Agellio l. 17. c. 17.* sed & decem
& ultra sibi corda esse, ob multarum lingvarum peritiam, jure me-
rito possent gloriari. Dicunt, & satis quidem contumeliosè, ex-
empla hæc eorum esse, quibus vulgò iratus Deus esse dicitur,
Syllabarum Patrum & similibum. Sed ut hæc omnia suo loco
remittam, nonne & illi, qui in gerendis bellis aliisque reipublicæ
negotiis haud postremum occuparunt locum, lingvis plurimum
tribu-

eribuerunt? Nonne *Magnus ille Macedo*, ut *Heinsii ex orat. 21.* ver-
bis utar, qui cum Oceano regni sui terminavit limites, hos poterit
redarguere? cum enim de tot populis triumphasset, quod mundus
capit, nondum orbem subegerat, quem non intelligebat. Quid
dicam de *Mithridate* Ponti & Bithyniæ rege? qui, quod omnino
rarum est & inauditum, 22. gentium, quas ditioni suæ subjectas
habebat, lingvas perfectissimè calluit. Teste *Agellio l. 17, c. l. 17, noct.*
att. Nec minus notum est de *Hadriano Imperatore*, quod græcis li-
teris adeò inhiaverit, ut vocatus sit per contemptum *Græculus*.
Quod ipsum & de multis aliis dici posset, ut hoc modo ex quo-
cunqve vitæ genere, qui lingvas constantissimè amant, non deesse
quilibet videat.

§. 8. Instant alii, non adeò absolutè lingvas sibi despica-
tui esse, sed in respectu saltem ad res ipsas, & cum rem prævisam
verba non invita sequantur (*juxta Hor.*) rerum ipsarum cognitio-
ne tempus consumere, in eisqve quantum per humanam fragili-
tatem possumus, nihil intentatum relinquere satius esse ducunt.
Verùm sciant illi, à supremo rerum conditore potestatem nobis
non esse factam res ipsas adferendi, repræsentandi, conjungendi,
dividendi & mentium nostrarum de iis conceptus prodendi, ne-
cessariò igitur nobis rerum signis utendum erit, per quæ intelle-
ctui nostro tanquam speculo res objiciuntur ibiqve recipiuntur.
Quoniam enim homo animal est non solum sociale ut formicæ,
sed & rationale, opus habuit officio quodam atque instrumentis,
quibus hanc societatem prudentiâ, & consilio quæsitam conser-
varet, quare & intelligi debuit & intelligere. Per sensilia ergò
& sensus rerum species & notiones ad intellectum deferri debue-
runt, ad quod cum ineptus sit tactus, gustus, odoratus, duo sensus
& sensilia manent reliqua Visus & Auditus, Color & Sonus. Ac
sonus quidem animi interpret factus est dupliciter, vel ut sonus
simplex, vel ut sonus in specie scil. vox, eaq; duplex rudis, & con-
formata seu articulata. Alterum sensile fuit color, quod intel-
lectui nostro inservit vel nutu & gestu, vel picturâ vel scripturâ.
Rerum itaque notiones, quæ sunt in scientis intellectu, in co-
gnoscentis intellectum prodeunt per duos sensus, auditum per
locutionem, visum per scripturam, reliqui cognoscendi modi ad-

modum sunt infirmi & insufficientes, & si res nostræ nudis saltem gestibus, vel etiam picturis geri deberent, adeo miserè nobiscum ageretur, ut quisque cum cane suo versari mallet, quàm cum homine, uti sentit *D. Augustin. de Civ. D. l. 19. c. 7.* Qvi autem non intelligit hujusmodi signa, quomodo quæ sub iis recondita latent intelligere poterit? uti subtilissimè hæc demonstrat *omnium subtilitat. Magister l. 3. d. CC. L. L. c. 66.* Quid autem artium realium prædictis modis proponi potest absque lingvis, quæ usum suum non in locutionem saltem, sed in scripturas transfundunt, adeo ut tota propemodum sciendi & intelligendi vis in verbis posita sit, secundum *Ludov. Vivem de prim. Philos. l. 1.* Nihil autem est aliud verba ritè intelligere & proferre posse, quàm lingvæ alicujus gnarum esse, ut hæc ratione, cum absque lingvis res addisci nequeant, capita illa sint optimo helleboro digna, qui rerum studium verborum curæ proponere curant, *Ludov. Vives passim de CC. corrupt. art.*

S. 9. Tandem ex lingvarum cognitione multa mala orta esse contranuntur, hinc teste *Lud. Viv. l. 2. de caus. corr. art.* omnium errorum & phantasticarum opinionum seminarium vocantur. Verùm & hoc amorem lingvarum nemini excutere potest, siquidem hoc tantum fit per accidens. Aliàs enim mirum non esset, si Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, & alii, quanto Arrio lingvarum peritiores fuerunt, tanto quoque hæreticiores existimarentur. Sic Hieronymus plusquam hæreticus esset, quàm Vigilantius & Jovinianus, quos ipse lingvarum ignorantia accusat, ut egregiè hoc refutat *Vives l. c.* Atque hæc fermè sunt, quæ contra lingvarum utilitatem vulgò objici solent, potuissent quidem prolixiore discursu refelli, verùm temporis ratio habenda fuit. Si autem forsitan perversa hæc sententia adeo eorum animis insederit, ut nullo modo evelli possit, *per me liceat dicantur ridicula rudimenta puerilia, dummodò in confesso maneat, sine illis veram & virilem sapientiam consequi neminem posse, dicente Vossio in Pref. ad Lect. de art. Gramm. & Valentino Andreâ manip. 3. apolog. 45. fol. 156.*

Et hæc in præsentia de Lingvis in genere dicta sunt, sufficiat hoc loco digitum tantum intendisse, & præcipuè attigisse, si Deus gratiâ

gratiâ suâ assistet, dabimus etiam de LL. aliquibus speciebus singularitè Exercitationes aliquas, interim B. L. bene vale, & hunc qualem cunqve ingenii nostri foetum vel potiùs abortum boni consule.

Corollariorum loco quæritur:

1. *An certus & definitus dari possit linguarum numerus?*

Resp. In turris Babylonicæ extruptione 70. aut 72. datas fuisse Lingvas *Tostatus* iudicat, secundum numerum Patrum vel Capitaneorum (uti *Tostatus* loquitur) qui huic structuræ interfuerunt, *Gen. 10.* Atque hæc quidem *Tostati* sententia antiquissima est, communis item & recepta ab innumeris eruditis. Nam *Hieronymus*, *Augustinus l. 16. d. Civ. D. c. 3.* *Arnobius in Psal. 104.* *Gesner. in Mithidat.* *Leonbard. Thorneif. Guido Fabrit. Epiphan. l. 1. tom. 3. f. 39.* & alii apertè cum his faciunt, de quâ tamen sententia non immeritò dubitatur, quâ de re videatur *Muscul. in h. l. Genes. f. 260.* & *Merula in Cosmograph. sua. Cardanus l. 11. de subtil. 62* Lingvas esse posuit, quæ etiam sententia à *Scalig. Exerc. 259.* exploditur. Posito tamen, sed nondum concesso, tot numero fuisse Lingvas, certus tamen exinde Linguarum numerus adstrui nequit, per tantum enim temporis defluxum à prima L. turbatione in infinitum eas mutasse, variasse, multiplicasse testis est *Lips. Cent. 3. ad Belg. epist. 44.* prout populi confusi mixtiq; inter se fuerunt & inter se propagati, idque quàm plurimis exemplis planum facit, quod jam dudum traductis coloniis, comitatibus mercatorum, immigrationibus, finitimisque cohabitationibus gentium omnes ferè corruptæ & mixtæ fuerint. Ut hæc ratione, *Euphoro* dicente, frustanea sit illa linguarum determinatio ad numerum 70. 72. aut 62. &c. cum primogeniæ sint multò pauciores, dialecti multò plures.

2. *Quid (Eccles. 28.) per Linguam tertiam denotetur?*

Resp. *Ebrai* linguam *Sycophantæ* sic vocant, cujus rei ratio reddi-

Q. 1766

redditur in libro *Masur. cap. 13.* ubi hic eruitur sensus: *Lingvam tertiam* vocant, quod tribus noceat, deferenti, accipienti, & ei, de quo dicitur, id quod in epist. quadam testatur *Basilus*, dicens: *Calumniator eadem opera tribus personis nocet, delatum injuriâ afficit, auditorem veritate privat, & conscientiam suam atrociter sauciat.* Sic *Doëg Idumæus* ejectus fuit propter *sycophantiam*, sacerdotes necati, & *Saul*, qui eos occiderat, à Deo punitus. Vide *Massebeth Erackin. fol. 15.* Lingvam tertiam *לשון תלית* author translationis *Chaldaica* memorat *Psal. 101. 5.* & *Psal. 140. 12.* Ubi *Lutherus* reddit: *Der seinen Nächsten heimlich verleumbdet / & Psal. 140. Ein böß Maul wird kein Glück haben / &c.* Vide *Drus. in quest. Ebr. l. 1. qv. 4.*

3. *Quid sentiendum de mirabili illa relatione Balth. del Cortegiano dicti lib. 2. ubi recitat, in finibus Muscovia & Sarmatarum mercatores sub tempus hyemis adfluvium Borysthenem ex utrâq; ripâ convenisse, collocutosq; neq; mutuò se intellexisse, quod congelata verba ob frigoris rigorem fuissent, ut nec in fluminis ripas pervenissent gelu intercepta; postea autem, cum glacies resolveretur, verborum sonitum auditum fuisset pro modulo solutionis, recensente P. Gregor. Tholozano l. 12. synt. art. mirab.*

4. *An perizoma illud, quod metallicorum posteriorem corporis partem obtegit, benè vocetur, ab iis recepto termino, Lingua?*

SOLI DEO GLORIA.

Resp. Ebraei linguam sycophantia sic vocant, ejus relatio

1077

me





Dn.
D. ej
storii
Nu

Dn.
Theo
El

Dn. I

Et I
Sre

onsultissimo, Ex-

NNO, S, S Th.
Celeberr. Consi-
æposito, Canonico
tori, ad D. Nicol.
cem-

AYERO, S. S.
Extraordinario &
ip. Collegiato,
cta-

. Doctori, & e-
errimo.

IDERICO
. Latin. & Hi-
lli-

s, Præceptor-
bita observantia si-
men

nissione

M. B. S.

